

In diesem Bande fehlen die Schriften Nr 39-41.


21. Sep. 1955.

Suchier.

Nr. 60.2.

1.





L. D. B. P.
DISSERTATIO EXEGETICO-POLEMICA

De
FIDELIBUS
NOVI TESTAMENTI
NON AMPLIUS
DOCENDIS

VINDICIAS ORACULI PROPHETICI JEREM. XXXI. 34.
EXSTANTIS EXHIBENS,

Quam,
PRÆSIDE
CHRISTOPH. MATTHÆO
PFAFFIO,

S. Th. D. & Prof. Prim. Univ. Cancellario,
Ecclesiæ Præposito,

ad diem XXI. Febr. A. MDCCXXVII.

in Auditorio Juridico

defender

M. PHILIPPUS HENRICUS ERBE,

Wittendorffensis.

TVBINGÆ,
litteris Jo. Cunradi Reiffii Viduæ.

2^{te}
5.

*Del. Ins
D. Budes
Profy
m. 41.*

e.





PRÆFATIO.

SÆpius iterumque ingeminare solent, qui ministerium Ecclesiasticum Novi Testamenti sublatum vellent, * clarissimè id significari in vaticinio Jeremiæ C. XXXI. com. 34. Ita enim describi delinearique ibidem Novum Foedus, quòd tantâ & divinâ quidem luce collustrandi hîc sint & parvuli & magni, ut nemo amplius alterum sit docturus scientiamque DEI illi infusus, sed omnes, ne minimis quidem exceptis, divinâ luce divinâque scientiâ, non extrinsecùs affusâ, sed in-

A 2

tus

* Sic SCHWENKFELDIUS Epist. T. X. Ep. 90. & WEIGELIUS in tr. γὰρ ὁ θεὸς C. 2. Taceo Quakeros fanaticosque recentiores, immediatas revelationes jaectantes.

tus in cor infusâ & huic inscriptâ gavifuri sint. Et sanè verba hanc in rem videntur clara & decisiva satis, maximè cùm eadem sententia Jes. LIV. 13. Joël. III. 1. 2. I. Joh. II. 20. 27. alibique videatur expressa. Cùm verò & ipse Christus in N. T. docuerit, cùm & ministerium Ecclesiasticum constituerit Matth. XXVIII. 20. I. Cor. XII. 28. Eph. IV. 11. ipsis quoque Apostolis docentibus & doctores Ecclesiis præficientibus, liquet utique, verba hæc prophetica ministerium ecclesiasticum N. T. haud sublatum velle. Quæ licet ita se habeant, danda tamen & est effati hujus vera & genuina interpretatio, quæ, quis illius sensus, quæ sententia sit, indigitet. Rem paucis evolvemus fractoque literæ cortice ostendemus genuinæ explicationis nucleum. Ita verò currunt verba in sanctiore codice & Hebræâ veritate:

ולא ילמדו עוד איש את רעהו ואיש את אחיו לאמר רדעו את-יהוה כי כולם ידעו אותי למקטנם ועד גדולם נאם יהוה

Hæc ita ad verbum verteris:

Nec docebunt amplius vir socium suum, et vir fratrem suum dicendo: agnoscite DEum, quia omnes illi agnoscant me inde à parvo ipsorum usque ad magnum ipsorum, oraculum hoc est DEL.

SECTIO

SECTIO PRIMA,

quæ varias interpretum sententias sistit.

§. I.

PRimam interpretationem nobis exhibet interpres Chaldæus Jonathan. Ita autem ille verba vertit: ולא יילפון עוד גבר ית חכריה וגבר ית אחוהי למימר דעו למרחא מן קדם יי ארי כולדון יילפון למדע דחלתו למועירהון ועד רבהון אמר יי: *Et non docebunt ultra vir proximum suum & vir fratrem suum dicendo: scitote timere DEum. Quia omnes discent scientiam timoris mei, à minimo eorum usque ad maximum eorum, dicit Deus.* Pater hinc, interpretem Chaldæum vocem על non de cognitione nudâ sed maximè de timore DEI obsequioque mandatis ejus præstando explicatam velle, ut sententia sit, legem divinam in N. T. ita animis hominum inscriptum iri, ut sine prolixo monitore, sponte suâ Dominum Messiam culturi & veneraturi sint. Atque ita etiam David Kimchius locum explicat, allegatque, eandem vocis hujus significationem occurrere Jerem. XXII. 16. Adde & Jer. IX. 23. 1. Joh. II. 3. 4. III. 6. Ex Christianis huic interpretationi accessit maximè H. GROTIUS.

§. II.

Jonathanem & Kimchium pone sequatur Abarbenel, secundam nobis horum verborum explicationem daturus. Hic verò, referente ad hunc locum S.F.B. SCHMIDIO, hanc tradit verborum mentem, *tant a DEum facturum miracula tempore Messia, ut de personâ Messia nemo dubitaturus aut instruendus sit, omnes enim ipsum sic sponte suâ agnitueros esse.* Ubi hæc scribat Abarbenel, mihi quidem haud constat. Jam enim in comm. in h. l. alia in verba fatur, aitque, hunc esse oraculi sensum, quòd temporibus Messiaæ templice tertii timor DEI ita imprimendus sit animis homi-

hominum, quemadmodum notitiæ naturales insitæ nobis sint, quas eapropter ut discamus demùm, haud opus sit, quæ & in parvis & grandioribus sint æquales, quòd & notitia rerum divinarum per modum miraculi ab ipso DEO hominibus sit infundenda, & tanquàm opus divinum duratura, cùm notitia ab hominibus hausta tanquàm opus humanum facillè diffluat, & quòd homines DEum obsequio & timore sint persecuturi non ex metu poenarum sed ex amore, quia peccata, poenarum causas, ipsis remissurus sit, eorum memoriam prorsus abolendo. Hæc ita ABARBENEL.

§. III.

Tertio loco sententiam dicant MUNSTERUS & CLARIUS. Hi existimant, in oraculo hoc innui, quòd in Novo Testamento non amplius docendi fideles sint de fugiendâ idolatriâ & agnoscendo colendoque vero DEO, quemadmodum in veteri necessarium id extiterit, gente Israëliticâ ad idolatriam tam proclivi. Omnes enim etiam sine proluxâ informatione verum DEum heic agnituros esse.

§. IV.

Succedit quarta eorum interpretum commentatio, qui statuunt, verbis hisce DEum indicare, quòd fideles Novi Testamenti non amplius docendi sint secundum legem veterem, quæ perfectam requirat obedientiam & maledicat haud præstantibus, sed quòd ex Evangelio omnes, etiam minimi, facile sint cognituri, quæ sit vera ad justificationem & salutem via, & quòd plena peccatorum remissio à Christo Salvatore sit parata, quodque operibus legis amplius opus prorsus haud sit. Ita post TIRINUM, MARIANAM, MENOCHIUM, PISCATOREM SEB. SCHMIDIUS.

§. V.

§. V.

Aliam paulò viam ii ingrediuntur, qui putant, tantam claritatem & amplitudinem notitiæ divinæ in Novo Testamento fore, ut fideles novi foederis *vix amplius** monitore aut doctore, certè haud tali, qui legali baculo & virgâ pædagogii, quæ in veteri testamento obtinuerit, in ipsos involer, sponte enim eos DEum agnituros verâque fidei obedientiâ culturos, & hunc esse vaticinii hujus sensum. Ita HULSEMANNUS ad hunc locum, ita QUENSTEDIUS in systemate Theol. pol. P. IV. f. 273. ita TURRETTINUS in instit. Theol. Elenct. P. 3. p. 240. ita & C. B. MICHAELIS ad hæc ipsa verba, ita & cel. BUDDEUS in exercitatione de prærogativis fidelium N. T. præ fidelibus V. T. §. 42. p. 109. no. ita & nos in originibus Juris ecclesiastici G. 2. art. 2. notâ (p) p. 65. 66. Adde cel. ZELTNERI brev. contro. cum Enthuf. & Fanat. p. 68.

§. VI.

Abeunt in diversum ab his omnibus, quorum hæc est mens, particulam negativam \neg significare hic *non solum* vel *non tam*. Ita ferè JUNIUS & TREMELLIUS. Sensus foret, in N. T. non saltem fratrem à fratre edoctum sed & fideles quosvis divino quoque lumine illustratum iri & sponte Dominum agnituros. Ita ferè & SAL. GLASSIUS: *Oppositio est inter tempus foederis legalis, quo quisque fratrem in verâ doctrinâ instituebat, Israëlita scilicet Israëlitam, & inter tempus foederis novi Evangelici, quo non solum Judæi sed omnes etiam gentes cognitione verâ salutis imbuendæ sint. In quo autem cognitio illa consistat, statim subjicitur: quòd condonaturus sum iniquitatem eorum & peccati eorum non recordaturus sum amplius. Hac est cognitio salutis*

* Et sanè particulam \neg subinde saltem *vix* designare probat Noldius ex 2. Reg. XX. 4. Job. XV. 30. Jes. LXIII. 9. & 1. Cor. III. 1. in Concord. partic. p. 490.

luris in remissione peccatorum Luc. 1. 77. & notitia solius Jesu crucifixi 1. Cor. II. 2. in quo remisso peccatorum credentibus obringit Col. 1. 14. Act. X. 43. in Philol. S. L. III. tr. V. can. 22. p. 489. Et DANIEL FESSELIUS: Non tantum docebunt se invicem, Israelita nimirum Israelitam, ut factum in Vet. Test. sed tanta erit doctrina claritas in N. T. ut non solum Judai, verum etiam gentes, quotquot in mundo erunt, cognitione vera salutis imbuenda sint, & capita doctrina Christiana facile a minimis intelligantur. Vide adversaria sacra L. IV. C. 3. p. 320. Itemque DORSCHENUS in Theol. Zach. P. 2. p. 283. Non docebunt amplius quisque amicum suum & fratrem, hoc est, non tantum, non solum, perseverabit scilicet sanctum informationis & deductionis ad cognitionem Jehovae opus etiam erga pares & sanguine ac religionis communitate conjunctos, aut saltem perseverare debet, sed non tantum, non solum subsistet intra illos terminos, sicut in V. T. fuit, ubi ordinariè doctrina sancta dispensabatur solum inter Israelitas, ceu foederis divini participes, verum ad gentes etiam propagabitur. Ita & DANNHAWERUS in hodosophiâ Christianâ p. 19. & QUENSTEDIUS in Syft. Theol. pol. P. I. f. 15. qui, uti §. 5. vidimus, alibi aliter.

§. VII.

Septimam interpretationem suppeditant AUGUSTINUS, CALVINUS, alii ex interpretibus Anglis, qui tenent, vaticinium hoc de Ecclesiâ triumphante intelligendum esse, ubi nullo doctore, nullo ministerio Ecclesiastico opus amplius futurum sit. Sed hoc profus haud convenit. Mireris, TURRETINUM in instit. Theol. clend. P. 1. p. 65. eandem tenere sententiam, qui alibi tamen alia habet. Vide supra §. 5.

§. VIII.

Octavam explicationem dare is posset, qui statueret, totum hoc oraculum agere de novo foedere, cum Judæis in Palestina olim reducendis pangendo, ubi reâdificatis, uti ultima

tima capitis insinuare videntur, Hierosolymis temploque ter-
tio exstructo immediata scientiæ divinæ lux eos ad veram Mes-
siam conversos sit illustratura. Ast vaticinium hoc in genere
de temporibus novi foederis agere, innuitur Ebr. VIII. 11.

§. IX.

Hinc sunt, qui nono loco illud de primitiis Ecclesiæ Apo-
stolicæ, de ipsis saltem Apostolis, immediato lumine divino
perfusis explicent, ut LYRANUS. Sed & hi rem acu haud
videntur tangere, cum verba sint generalia & ad omnes Israë-
litas, ad totum fidelium N. T. coetum spectent, ipsique etiam
Apostoli à Christo fuerint docti & instituti.

§. X.

Restat jam, ut in isto sententiarum divortio, quæ vera sit
prophetici hujus oraculi ἐπίλυσις, determinemus. Docebit ve-
rò hoc contextus rei que ipsius, de quâ agitur, ratio & indoles.

SECTIO SECUNDA,

quæ sensum oraculi verum determinat.

§. I.

PRÆsupponimus autem hîc I. agi in hoc oraculo de novo illo
foedere cum hominibus in N. T. pangendo. Ebr. VIII. 11.
PRÆsupponimus II. ministerium Ecclesiasticum in N. T. à Chri-
sto ipso institutum, & necessarium quoque, opusque esse, ut fi-
deles mutuis admonitionibus doctrinâque se invicem ædificent.
Docer id mandatum Apostolicum Col. III. 16. Ebr. X. 24. 25.
Imò & in temporibus Messie juxta oraculum Propheticum
Jes. II. 3. fratrem frater moniturus erat, ut eat ad montem Do-
mini, instituendumque etiam erat ministerium Ecclesiasticum
juxta Jerem. III. 15. PRÆsupponimus III. particulam negativam
N7 sæpissimè in sacris literis significare *non tantum, non tam*. Ex-
empla

B

empla sunt in promptu. Velim autem quàm maximè, à lectore evolvi loca sequentia, quæ ex hâc observatione magnam lucem accipiunt, maximè illa, quæ contra divinitatem Christi Sociniani urgent, non aliâ nisi hâc nostrâ observatione vindicanda. Gen. XXXII. 28. XXXV. 10. XLV. 8. Ex. XVI. 8. 1. Sam. VII. 7. Ps. LI. 18. Jer. VII. 22. XVI. 14. Ezech. XVI. 47. Joël. II. 13. Matth. IX. 13. X. 20. XVIII. 22. XX. 23. Marc. IX. 37. Luc. X. 20. Joh. IV. 42. V. 22. 30. 45. VI. 27. 38. VII. 16. VIII. 50. XII. 44. XIV. 24. XV. 15. XVI. 26. XVII. 9. collato comm. 21. Act. V. 4. 1. Cor. I. 17. IX. 8. X. 24. 33. XV. 10. 2. Cor. VIII. 5. Eph. VI. 12. 1. Theff. IV. 8. 1. Tim. II. 14. 1. Pet. III. 3. 4. 1. Joh. III. 18. alia ut loca taceamus, quæ conglomerare FLACIUS in clave Script. S. in particulâ non col. 747. GERHARDUS in harm. Evang. f. 198. a. 253. a. 690. a. 1346. b. 1433. b. & in Matthæum p. 515. 516. PAULUS TARNOVIUS de SS. Trinitate contra Socinum p. 57. 477. GLASSIUS in Philol. sacrâ L. III. tr. 5. can. 22. FESSELIUS in adversariis sacris L. IV. C. 3. p. 318. sqq. DORSCHHEUS in Theol. Zach. P. 2. p. 283. HACKSPANIUS in notis Philol. Theol. in Scr. S. loca P. 3. p. 219. sqq. GEIERUS in Ps. LI. 18. Prov. VIII. 10. XXVII. 10. WINSTRUPIUS in pandectis sacris in Matthæum P. 2. f. 1411. 1412. NOLDIUS in Concord. partic. p. 489. 490. SCHERZERUS in collegio anti-Sociniano p. 159. 161. 1080. & GUSSETIUS in comment. linguæ Ebraicæ f. 422. Adde diff. nostram de abrogatione legis cærimonialis, etiam quoad Judæos p. 2. *

§. II.

* Licet autem particula negativâ sæpissimè non tàm, non solum significet, non tamen ubique hæc significatio obtinere potest. Ita hâc observatione abusi sunt EMANUEL SA, MALDONATUS & CORNELIUS A LAPIDE, iste ad Rom. III. 20. eapropter reprehensus à JO. TARNOVIO in Joëlem p. 81. ille ad Rom. IX. 16. hic ad 1. Cor. XV. 10. utrumque refellente & notante HACKSPANIO l. c. p. 220. 221.

§. II.

His jam præsuppositis, maximè & hoc, quòd particula **N**7 sæpissimè in sacris literis significet, non tam, non solum, promptissimus, nec sanè contortus emergit sensus: *Nec docebit saltem vel nec tam docebit in N. T. unus alterum movebitque, ut Dominum Deum suum Messiamque cognoscat & revereatur, quem admodum id in veteri Testamento factum, non florebit saltem inter fideles N. T. institutio ista atque admonitio mutua, quâ unus alterum ad cultum veri Jehovæ atque Messia est incitaturus calcareque ipsi additurus, sed ipsi quoque illi, legem cordibus suis inscriptam servantes sponte quoque suâ ferentur ad agnitionem Dei & Messiae Ipsiusque cultum*, maximo utpote remissionis peccatorum beneficio orandi beandique, eò luculentius jam manifestando, quòd Messias passione suâ & morte chitographum sustulit. Coloss. II. 14. Est autem hic sermo non de cognitione nudâ & merè theoreticâ, sed de cognitione affectivâ, practicâ, salutari, cum fide, timore, amore & reverentiâ divini Numinis & Domini Messiaë conjuncta. Talem cognitionem verò vox **וַיִּי** indigitat, observantibus GUSSETIO in comment. linguæ Ebr. f. 312. & STOCKIO in clavi linguæ sanctæ p. 491. Vide 1. Sam. II. 12. Jerem. IX. 23. XXII. 16. Hof. II. 20. Pl. IX. II. XXXVI. II. LXXXVII. 4. XCI. 14. Prov. III. 6. Job. XIX. 25. Eandem significationem vox **נִוְנָוֵנִי** & **נִוְנָוֵנִי** habet. Joh. VIII. 55. XVII. 3. 1. Cor. I. 21. Tit. I. 16. 1. Joh. II. 3. 4. III. 6. observantibus BREITHAUPTIO in diss. de verâ DEI rerumque sacrarum notitiâ p. 3. sqq. & FECHTIO in diss. de notitiâ Christi cum observatione mandatorum ejus conjunctâ ad 1. Joh. II. 3. 4. Effato verò hoc prophetico sic explicato non saltem evanescit & in auras fumumque diffluit fanaticorum objectio, quâ ministerii ecclesiastici in Novo Testamento sublacionem hic indigitatam esse asserunt, sed oraculum hoc quoque contra ipsos militat atque institutionem fidelium etiam in N. T. continuandam esse innuit.

§. 3.

§. III.

Quemadmodum autem hoc oraculum Propheticum ministerio Ecclesiastico N. T. haud adversatur, ita nec Jes. LIV. 13. ubi illi dicuntur edocti à DEO, fideles nempe N. T. qui Christum verbumque Ipsius audiunt Joh. VI. 45. nec Joël III. 1. 2. quod oraculum partim impletum est in Apostolis, die Pentecostes lumine extraordinario Spiritus S. circumfusis atque collustratis Act. II. 16. partim impletur & majore adhuc cum constantia implebitur in fidelibus N. T. comm. 39. illuminandis per verbum Evangelii à Spiritu Sancto, quæ illuminatio ordinaria exprimitur à Joële per phrasin propheticam ab illuminationibus propheticis V. T. desumptam, uti Prophetæ cultum & res N. T. per phrasas à Vet. T. ejusque cultu Levitico desumptas passim solent describere. Vide diss. nostram de abrogatione legum cætim. p. 32. sqq. & ven. BUDDÉI exerc. de prærogativis fidelium N. T. præ fidelibus V. T. §. 41. p. 105. Nec denique unctio omnia docens 1. Joh. II. 20. 27. ministerium Ecclesiasticum tollit, cum unctio hæc, charisma hoc scientiæ spiritualis, etsi à Spiritu S. ejusque illuminatione oriunda sit, tamen per ministerium Johannis Apostoli fidelibus, ad quos scribit, contigerit, eosque sic omnia docuerit, quæ ad salutem adipiscendam & anti-christos maximè vitandos cognitu erant necessaria. Si enim nullo illi ministerio Apostolico opus habuissent, quo sine ad eos scripsisset, quæso, Johannes, quo sine tot ad ipsos dedisset monita? Sic verò non opus habebant illi, alius ut ipsos denuò vel alia doceret, cum sufficeret instructio Apostoli unctioque per Istius ministerium collata. Vide & 1. Thes. IV. 13. V. 1. Maximè verò Johannes semovet hîc falsos doctores & anti-christos, quorum doctrinâ non opus habere eosdem sic subinnuit, ut alibi docebimus.



Fd 5611

ULB Halle
002 715 18X

3




PH 306

VD 77

NC







B.I.G. Black

Farbkarte #13

252
5

L. D. B. V.
DISSERTATIO EXEGETICO-POLEMICA
De
**FIDELIBUS
NOVI TESTAMENTI
NON AMPLIUS
DOCENDIS**

VINDICIAS ORACULI PROPHETICI JEREM. XXXI. 34.
EXSTANTIS EXHIBENS,

Quam,
**PRÆSIDE
CHRISTOPH. MATTHÆO
PFAFFIO,**

S. Th. D. & Prof. Prim. Univ. Cancellario,
Ecclesiæ Præposito,

ad diem XXI. Febr. A. MDCCXXVII.
in Auditorio Juridico
defendet

M. PHILIPPUS HENRICUS ERBE,
Wittedorffensis.

T V B I N G Æ,
litteris Jo. Cunradi Reiffii Viduæ,

*Del. Ins
D. Budes
Prof
mitte.*

e.

